



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

II. De vniuersalitate, quæ est effectus voluntatis nostræ, necnon
Angelorum, ac Dei optimi Maximi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

inensatas. quibus nimirum obiecta sensibus exter-
nis imperceptibilia percipit: cuiusmodi sunt in oue
v. g. species illæ, quibus inimicitiam cum Lupo ap-
prehendit: quanquam ergo sensus externus haud
cognoscat, efficiatvè vniuersale, id tamen perfectio-
nis interno sensui quorū sit denegandum?

22 Aduersus hanc assertionem postremam obiici pos-
sunt in primis ea loca Aristotelis, in quibus adstruit
sensum suapte natura esse singularium: at phantasia
est propriè sensus, & non intellectus: naturaliter
ergo sola attingit singularia, & nullum vniuersale.
Verum paulò suprà Aristotelem de sensu externo.
Secundo obiici potest Augustin lib. 2. de libero arbi-
trio c. 8. ubi sic inquit: *Vnum verò quisquis verissimè
cogitat, profectò inuenit, corporis sensibus non posse sen-
tiri: quidquid enim tali sensu attingitur, iam, non
vnum, sed multa esse cōuincitur:* & paulo inferius; *ubi-
cunque autem vnum nouerim, non vniue per sensum
corporis noui.* Tum sic sensus, siue sit externus, siue
internus (nullo enim vtriusque facto discrimine lo-
quitur Augustinus) nequit saltem naturaliter perci-
pere vnum: atqui vniuersale est vnum, vt vel
ipsum eius ethimon declarat: haud ergo po-
test ex natura rei percipere vniuersale, illudvè
efficere.

23 Respondeo tamen primò, sensum quandoque
supponere pro solo externo, atque ita eum accepisse
Augustinum præfato loco eius libri, quem scrip-
sit de libero arbitrio. Respondeo secundo, vnitatem
aliā esse simplicitatis, & indiuisibilitatis integra-
lis, quæ quidem est propria spirituum, & in corpora
nequit conuenire; aliā verò esse vniuersalem,
quæ partium integralium simplicitatem magis,
quam compositionem non postulat, nec magis est
corporum, quam spirituum. De hac posteriori vni-
tate, si sermonem haberet Augustinus, haud dubiè
vniuersale excluderet ab obiecto sensus cuiusvis.
Cæterum, non de ea, sed de sola illa priori locutus
fuit. Siquidem post verba primo loco allegata sta-
tim addidit: *corpus enim est & post posteriori loco
ex eo adducta adiecit illicò; quia per corporis sensus
non noui, nisi corpus, quod verè, pureque vnum non
esse conuincimus.* Quasi idcirco dixerit, haud posse
sensum vllum percipere vnum, quia non potest
ferri, nisi in id, quod suapte natura corpo-
rem est: sermonem ergo habuit de vnitate op-
posita corporalitati, adeoque non de vnitate vniuer-
sali, sed potius solius indiuisibilitatis integralis, vt
dictum est.

CAPVT II.

De vniuersalitate, quæ est effectus voluntatis
nostræ, necnon Angelorum, ac Dei
optimi maximi.

24 In primis arbitror, haud esse negandum vniuer-
salitatem aliquam obiectis amatis à nostra volun-
tate tribui. Ita Hurtadus disp. 5. metaph. sect. 12. §.
146. necnon Arriaga disp. 6. log. sect. 7. tametsi enim
ibidem neget à voluntate, aut etiam à sensibus fieri
vniuersale logicum, ac prædicabile, imò etiam sta-
tuat, absolutè ab eis non fieri vniuersale, quia, in-
quit, *hoc iuxta communem acceptionem solum usur-
patur pro eo, quod potest predicari ab eadem potentia,
à qua effectum est, quod in aliis potentiis ab intelle-
ctu locum non habet:* Cæterum hæc ad solas spe-
ctant voces, non vero ad rem ipsam: quæ certè tenus
nobis consentit.

Suadetur autem assertio hunc in modum: voluntas
plura inter se confundere, & vnire potest: ergo ex
eius actu vnum multiplex, siue vniuersale reulta-
re poterit: antecedens probatur, quia voluntas
plura obiecta amans ea sibi vnit, & quodammodo
identificat iuxta illud Dionysij cap. 4. de diuinis no-
minibus *amor est virtus vniōnem faciens*; illudque
Augustini tract. 27. in Ioann. *vt autem simus mem-
bra eius (scilicet Christi) vnitas nos compaginat: vt
compaginet vnitas, quæ facit, nisi charitas?* & tract.
2. in epist. Ioann. *talīs est quisque, qualis eius dilectio
est: terram diligis, terra es: Deum diligis: quid di-
cam? Deus eris.* ergo etiam plura inter se confunde-
re, & quodammodo identificare poterit, prout ad
vniuersale oportet: sicut, quia intellectus res cogni-
tas aliqua sibi ratione vnit, & identificat, eas etiam
inter se vnire potest, atque confundere.

Rursus secundo suadetur eadem assertio. Volun-
tas proposita virtute, vt sic, & eius differentii, in
sola virtute simpliciter placens rationem virtu-
tis ex parte obiecti à differentii præscindit: vnita-
tem ergo præcisiuam obiecto tribuit, quam ad vni-
uersale sufficere plerique existimant. Præterea ter-
tio: actus intellectus non solum à veritate radicali
obiecti multiplicis veritatem formalem haurit,
quam in ipsum refundat, sed etiam ab eius vnitate
radicali vnitatem formalem, quam in illud reiciat,
vt suprà non semel edocuimus: similiter ergo actus
voluntatis, non tantum bonitatem formalem à bo-
nitate radicali obiecti multiplicis sumit illam red-
ditura, verum etiam ab eius vnitate radicali vni-
tatem formalem, illam postea traditura, sicut ad vni-
uersale requiritur. Quod denique: vniuersale sit
per voces significatiuas ex instituto, vt ad initium
cap. præcedentis manet ostensum: at significatio
arbitraria, & ad placitum, vt aiunt, in voluntatis
actu, & placito aliquo consistit iuxta non paucos ex
aduersariis.

Obiicies tamen primo: voluntas amans rationem
communem virtutis eam vniuersalem per intelle-
ctum supponit: ergo illam vniuersalem non facit;
sicut Deus entia rationis non facere censetur, quo-
niam à creaturis facta supponit, & cognoscit. Res-
pondeo: quemadmodum intellectus per notitiam
comparatiuam vniuersale efficit, esto per abstracti-
uam illud factum supponat, quod idem de iudicio,
& apprehensione præuā seruata proportionem dicen-
dum est; ita similiter voluntas in præsentī &c.
Exemplum autem non vrget, quia non idcirco Deus
entia rationis, & chimerica non facit, quoniam fa-
cta supponit: tum, quia ab æterno ea facta non su-
ponit, quando tum nullus intellectus creatus, aut
finitus est, qui ea facere possit: tum etiam, quia crea-
tura ens rationis factum sepe reficit, vt cum appre-
hensionem alicuius chimeræ eiusdem iudicium
excipit: ideo igitur Deus entia rationis non facit,
quia ab eo factibilia non sunt, nihilque fingere, aut
communisci sustinet.

Obiicies secundo. Voluntas dare nequit vnitatem
obiecti multiplici: illud ergo nequit vniuersale:
probatur antecedens, de quo solo potest esse dubium
conferre vnitatem obiecto multiplici, est illud per
actum aliquem representari, vt non multiplex: at
per actum voluntatis obiectum vt non multiplex
representari nequit, cum solius intellectus sit res
representare, & voluntatis amare. Verum antec-
edentis probatio, non vrget: Cur enim representari,
seu præfens fieri obiectum tanquam non multiplex
ad eius vnitatem vniuersalem conducatur, potius,
quam representari, seu præfens fieri obiecto tan-
quam

quam non multiplex, cum vtrumque obiecto extrinsecum sit: Sicut autem intellectus res sibi representat, ita voluntas se rebus representat, in easque fertur, iuxta vulgare dictum, *anima magis est ubi amat, quam ubi animat.*

28 Secundo cenſeo, Angelos efficere poſſe vniuerſale ſiue, quod perinde eſt, eos cognoſcere poſſe rationes cōmunes, ſine particularibus, illasque ab his abſtrahere. Suadetur primò, quoniam eſſi Angeli plura euidenter cognoſcant, non eſt certè, cur ea ſemper in ſingulari, non eſt, cur non aliquando in communi ita percipiant: haud ſecus, atque nos non tantum quæ opinatiue, vt ſic dixerim, ſed quæ ſcientificè conſequimur, in communi intelligimus: imò omnis ferè ſcientia noſtra eſt de vniuerſalibus. Atque per ſcientiam Angelorum propriam fieri ab eis interdum vniuerſale, tuetur Suarez lib. 2. de Angelis cap. 8. quamuis eum cognoſcendi modum circa res, quarum habent proprias ſpecies, quaſque cognoſcere poſſunt vt ſunt in ſe, ac diſtincte, & in ſingulari putet non eſſe neceſſarium, nec ordinariè eis contingere. Idem ſentire videtur Valencia de Angelorum ſcientia tom. 1. p. 1. diſp. 4. quaſt. 8. punct. 2. docet enim ibi vi ſpecierum euidentium, ac propriarum, quas Angeli initio creationis ſuæ ſunt ſorti, poſſe eos, non ſolum ſingulare vt tale, ſed etiam naturam formaliter, & præſcindendo ab omnibus ſingularibus cognoſcere: quin etiam Scotus, & aſſectæ id ſemper vſuvenire putant, nec, niſi per ſpecies acquiſitas eos percipere ſingularia quatenus talia.

29 Secundo ſuadetur eadem aſſertio: nam, vt oſtenditur à nobis in metaphyſ. lib. 7. tract. 4. cap. 4. & lib. 10. tract. 2. vtque docet P. Suarez lib. 2. de Angelis cap. 3. num. 19. & cæteri cum eo Scholaſtici, negandum non eſt, quin Angeli multa confuſe, & ineuidenter cognoſcant, vt myſteria ſupernaturalis fidei, res contingenter futuras, & ſecreta cordium. Cur igitur iſta non poſſint in communi, & ſeorſim à ſingularitatibus cognoſcere? Certè P. Suarez citato lib. 2. de angel. cap. 8. num. 11. parum ab initio ſtatuit, *abſolute non repugnare, imò neceſſarium eſſe, ralem cognitionem (ſcilicet vniuerſalem, & confuſam) in angelis ponere de obiectis communibus, qua diſtinctius cognoſcere non poſſunt.* Tertio ſuadetur id ipſum: quia tamenſi Angeli eius cenſeantur perfectionis, vt nihil non clare, & in ſingulari naturaliter cognoſcant (quod neſcio, qua probabilitate fingi poſſit:) certè non propterea vis efficiendi vniuerſale debet eis negari. Si quidem vt ad cognitionem claram, & intuitiuam ſibi non connaturalem, videlicet beatificam euehi poſſunt, quidni etiam deprimi ad cognitionem aliquam vniuerſalem, & confuſam, ac rationum communium à particularibus præciſiuam?

30 Tertio opinor, Deum efficere vniuerſale per notitiam comparatiuam, & reflexam, cognoſcendo nimirum obiectum aliquod vniuerſale à nobis factum tale, eſſe vnum extrinſecè ſolum, & intrinſecè, ac ſponte ſua multiplex. Ita ſtatutum eſt à nobis tract. 5. præc. cap. 13. aſſert. 2. Cæterum vt inibi dictum eſt, vtque docet Arriaga citata diſput. 6. log. ſect. 8. num. 49. ad finem ſatis probabile eſt, Deum ne ita efficere vniuerſale, defectu nimirum confuſionis, & obſcuritatis in actu, per quam comparat. Quartò dicendum cenſeo intellectum diuinum haud poſſe facere vniuerſale directè, & per abstractionem. Id enim eſſet cognoſcere naturam communem ſine ſingularitatibus, & has confundere inuicem, atque imperfectè cognoſcere: quod quis à Deo procul eſſe non fateatur.

P. Lyncei Philoſophia Tom. I.

Enimverò, ſi ſermo ſit de Deo, non ſecundum ſe, ſed de illo facto homine, ſiue quod perinde eſt, de Chriſto Domino, dicendum eſt, eum per cognitionem diuinam, vt oſtenſum eſt, haud facere vniuerſale, haud etiam per ſcientiam beatam, quæ eſt huius perfectio, & tum Dei, tum etiam creaturarum in ſingulari aſſectio, vt exploratum eſt. Quod verò attinet ad eius ſcientiam per ſe infuſam, & ſupernaturalis ordinis, quoad ſubſtantiam, qua etiam in hac vita ſine conuerſione ad phantasmata cognoſcebat, illius vi eum exiſtimo, & tum potuiſſe, & modò poſſe, ſi velit, cognoſcere res aliquas in communi, & vniuerſalia efficere, ſicut de Angelis ſuprà diſputauimus: Oppoſitum tuetur Balthazar Tellez in log. diſput. 4. ſect. 1. à numero. 2. nihil tamen aſſert, quod me iudice vigeat.

Quod denique ſpectat ad ſcientiam Chriſti naturalem quoad ſubſtantiam, ac tantum per acciſus infuſam, necnon acquiſitam, certè per eam in hac vita dum fuit, potuit, & in altera modò poteſt efficere vniuerſalia non pauca: ea ſiquidem eſt eiuiſdem ſpeciei cum noſtra, vt docent B. Thom. 3. part. quaſt. 9. art. 4. & quaſt. 12. art. 1. & 2. Vaſquez etiam 3. part. diſp. 55. cap. 2. Suarez 3. quoque part. diſp. 25. ſect. 2. & diſput. 30. ſect. 1. & communiter alij Theologi. Nec video, quid obſtet huic deciſioni, niſi fortè, ſi quis renuat, ſcientiam acquiſitam Chriſti, aut alterius hominis in patria manere: at quod maneat, eſt ſententia communis, ac recepta Doctorem, inter quos vide, ſi lubet, Patres Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 2. diſp. 6. ſect. 8. ac Balthazarem Tellez part. 1. 2. ſummæ philoſophicæ diſput. 4. ſect. 1.

C A P V T III.

Quadam de vniuerſalibus dubia.

31 QVæ reſolui oportet, tum ad huius tractatus, tum etiam ad totius libri complementum. Dubitari ergo poteſt primò, an inter vniuerſale, & ſingulare in intellectu noſtro ſit dare medium, ſiue quod perinde eſt, an intellectus noſter cōcipere poſſit aliquam naturam, quæ provt ab eo concepta, nec ſit ſingularis, nec vniuerſalis? Reſpondeo, ſi ſermo ſit de natura creata v. g. humana, non poſſe naturaliter, at poſſe diuinitus, ac per miraculum. Prior pars ſuadetur: quia intellectus noſter vel concipit collectionem humanitatum omnium; & hæc confuſe concepta eſt vniuerſalis: vel hanc numero humanitatem, ſiue humanitatem ſingularem, vt talem; & hæc ſingularis eſt, provt ita concipitur: vel ſolam humanitatem Petri v. g. præſcindendo ab eius ſingularitate, quæ Petreitas nuncupari conſuevit; & hic concipiendi modus ſemel admiſſus ſufficit ad ſtatim medium in intellectu noſtro: cæterum admitti nequit in nobis ex natura rei, ac ſecluſo miraculo: nam, cum vna natura humana ſit alteri omninò ſimilis, non poteſt naturaliter abique altera concipi abſtrahendo ab hæcitate, ſiue ſingularitate vtriuſque. Quod amplius confirmatur primò: quoniam vna humanitas ab alia formaliter differt per ſolas hæcitates: ergò etiam quoad nos diſſerre, inuicemque ſecerni non poterunt, niſi earum hæcitates nobis innotſcant: Secundò, quia licet priori quodam ſigno ad vnitatem numericam, & indiuidualem vna humanitas ab alia differat,